

stella, per iam citata problemata. Cognoscetur etiam tertium latus trianguli HEM , videlicet ME longitudo stellæ: quod facere oportuit. Si quis calculum hîc adhibuerit, idem prorsus inueniet quod in præcedenti capite: eadem enim hîc quæ ibi habentur data.

Quomodo eadem longitudo & latitudo nouæ Stellæ inueniatur ex illius ad vicinas sibi stellas distantia, & ex illarum præcognita longitudine & latitudine. Cap. 13.



SINT in proposito diagrammate A & B duæ stellæ asterismi Cassiopeæ, quarum A sit illa quæ est apud Ptolemæum numero xij . in imagine. B verò quarta eiusdem imaginis. Portio eclipticæ, ad quam referuntur loca stellarum, sit DE . Polus illius Boreus punctum C . Ex eo polo ducantur duo quadrantes per puncta stellarum AB prædicta, qui sint CAD & CBE : locus stellæ nouæ collocetur in puncto M . Nam ipse aspectus & consideratio positus huius stellæ, palàm indicabat illam cæteris Borealiorem esse. Per punctum M demittatur quadrans circuli ex eclipticæ polo, qui sit CMG . Erit itaque locus G , locus visus & verus stellæ in ecliptica, quem querimus, & arcus GM , latitudo eius vera. Sit etiã longitudo stellæ A verificata ad præsentem annum 73 in 28 grad. 59 scrup. Arietis. Latitudo illius DA , 51 grad. 40

M 2